



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xij. De Cessatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

ri, & clara voce officia celebra-  
ri concedit: qui dies sunt, Nata-  
lis Dominici, Palchæ, Penteco-  
stes, & Assumptionis sacre vir-  
ginis, addito per Martinum so-  
lenni corporis Christi die vsq;  
ad octauam: à quibus tamē of-  
ficijs excommunicari arcendi  
sunt, interdicti verò his diebus  
admittuntur, modò altari non  
appropinquent<sup>b</sup>. Quæ Bonifa-  
cij modò relata cōstitutio lon-  
gè melius & vtilius providit,  
quàm constitutio Gregoriana,  
quæ ante hanc emanarat: illa si  
quidem interdicti lati tempo-  
re semel in hebdomada tantum  
missas celebrari Eucharistiæ cō-  
ficiendę gratia permittebat, vo-  
ce suppressa, ianuisq; Ecclesiæ  
obseratis, & omni campani æ-  
ris tinnitu cessante<sup>c</sup>. Plenius ta-  
men vberiusq; providit, quàm  
cōstitutio Innocentiana<sup>d</sup>: qua  
nec pœnitentia morientibus,  
nec verè pœnitentibus viaticū  
denegatur, & cōceditur, vt cle-  
rici decedentes, qui tamen ser-  
uauerint interdictum, in cœmi-  
terio Ecclesiæ sine campanarū  
pulsatione, cessantibus solen-  
nitatibus omnibus, cum silen-  
tio tumultentur, & vt in convē-  
tualibus Ecclesijs bini & bini,  
vel simul tres horas Canonitas  
valeant legere, non cantare, ia-  
nuis clausis, interdictis & excō-  
municatis exclusis, & voce ita  
demissa, quòd extrà audiri nō  
possint.

**A** Baptismus, & Confirmatio,  
& Chrismatis confectio, & via-  
ticum, & pœnitentia, vt suprà  
diximus, item matrimonium  
interdicto vigente non censetur  
adempta<sup>e</sup>.

Contra eos verò, qui interdi-  
cta non seruarint, siue clerici, si-  
ue laici sint, Clemēs v. providè  
statuit, qd obseruari debeat, &  
qua pœna sint multandi: sicut  
etiam contra eos, qui cessatio-  
nem à diuinis iure factam fue-  
rit transgressi<sup>f</sup>: de qua cessa-  
tione mox titulo sequenti di-  
cemus.

### DE CESSATIONE,

#### TITVLVS XIII.

**C**essatio igitur, quam cleri-  
ci faciunt, dum diuina of-  
ficia laicorū irritati iniurijs in-  
termittunt, etsi interdicto simi-  
lis videatur, reuera tamē aliud  
quid ab interdicto diversum  
est, præsertim si specialiter fa-  
cta sit<sup>g</sup>. Ea tamen interdicti e-  
xemplo non pro quavis offen-  
sa leui, sed pro grauioribus tan-  
tum fieri debet, putà si onera  
clericis per laicos imponatur,  
si contra eorum libertatem sta-  
tuta à laicis facta sint, si à Princi-  
pe seculari clericus detineatur  
captiuus: hæc quippe, & simi-  
lia possunt iustam causam ces-  
sationi præbere. Pœsionis au-  
tem subtractæ causa nequaquã  
cessatio fieri potest<sup>h</sup>.

Rx a

<sup>a</sup> Summa An-  
ge. uer. in-  
terdictum.

<sup>b</sup> c. si de sent.  
excō. in 6.

<sup>c</sup> c. permitti-  
mus. extra.  
de sent. ex-  
com.

<sup>d</sup> c. quod te.  
de pœnitē.  
& remis.

<sup>e</sup> c. sacro. de  
sent. excō.  
d. c. quod in-  
te. Ab. c. nō  
est. de spon-  
sal.

<sup>f</sup> de. 1. 2. c.  
3. de sent.  
excōm.

<sup>g</sup> Summa An-  
ge. uer. 11

<sup>h</sup> c. quicunq;  
ubi. uer. ces-  
sare. et uer.  
causa de of-  
fi. ord. in 6

Et quid in cessatione facienda seruari debeat, duo Romani Pontifices, Gregorius IX. scilicet & Bonifacius præscripserunt. Quorum alter, scilicet Bonifacius, statuit, ut Canonici, quibus à diuinis cessandi ius est, id ne faciant, nisi omnibus Canonicis vocatis, perinde ac si electio quæpiam esset celebranda, & deliberatione inter se facta ab eo percontentur, qui cessationi causam præbet, an velit irrogatam offensam sarcire, qui si velle se sarcire responderit, non cessabunt: B si contra, cessare poterunt, ita quòd intra mensem à cessatione vtraque pars, vel per se, vel per procuratores ad summum Pontificem iter arripiat, nisi còcordia interim inter eos intercesserit, & quàm celerrimè poterunt, se coram Pontifice Maximo sistant, ut ille negotium finiat, meritosq; condignè puniat: quæ si pars cessare volens non seruarit, cessatio parui erit æstimanda<sup>a</sup>. Alter verò, id est,

<sup>a</sup> e. quæpiam  
de offic. ord.  
di. in 6.

A Gregorius, hanc formam dedit, ut qui cessare volunt, propositi huius causam instrumento publico, vel literis patentibus exarent, suo, aut alieno authentico sigillo signatis: illique edant, cuius odio cessare decreuerint: quæ si formam prætermiserint, vel causam legitimam prætulerint, quicquid medio tempore ab ea Ecclesia tulerint, vel preceperint, restituere cogentur, nec aliquid deinceps percipient, eique, in cuius cessauerint contumeliam, de iniuria satisfaciant: at si non iniuste eos cessasse constiterit, quicquid sua interfuerit, ab his reperet, quorum irritati iniurijs cessauerint, & certam præterea quantitatem, quam prælatus fuerit arbitratus: eorumque reijcitur et damnatur consuetudo, qui in huiusmodi cessationibus crucem, aut virginis sanctæ, aliorumve sanctorum imagines spinis, vel vrticis obruere consueuerunt<sup>b</sup>.

<sup>b</sup> e. ij. de offic.  
ord. in 6.

I N D E X